

ter expirat omnis operum ratio & conditio. *Justificamur autem imputatione fidei, quæ nullum cum operibus habet commercium, Roman. 4. v. 5. 24. & remissione sive non imputatione peccatorum, v. 6. & 7. Et quidem ex sententiâ Moysis & Davidis hoc est Legis & Prophetarum, qui unanimi consensu docent: Beatitudinem esse hominis, cui Deus ex grâtiâ remittit peccata & sine operibus imputat justiciam.*

LII. *Quemadmodum autem Imputatio secundum gratiam pugnat cum Imputatione secundum debitum: ita etiam remissio peccatorum gratuita, quam universa scriptura prædicat, & Satisfactio operum, quæ Pontificiorum commentum est, sibi invicem è diametro sunt opposita, & nullâ ratione ad totius alicujus constitutionem possunt concurrere.*

LIII. *Quomodo enim, quæso, Deus verè diceretur remittere peccata, si pro iisdem adhuc à nobis satisfactionem exigit & requirit? Num quis diceret, eum creditorem remittere & condonare debitum, qui adhuc sibi velit satisfieri, ab ipso met debitore? Auctores hæc esse qui vis non planè stupidus liquidò intelligit.*

LIV. *Hinc Paulus Roman. 10. v. 3 damnat eos, qui justiciam suam stabilire querunt & justiciæ DEI non sunt subjecti, & contra asserit, satis esse, ut in Christo reperiamur, non habentes nostram justiciam, quæ est ex Lege, sed illam quæ est Christi: Firmiter itaq; statuit & decernit: Iustificationem nostram non in justiciâ aliquâ inhaerente, sed in justiciâ Christi nobis imputatâ, & per fidem apprehensâ unicè consistere.*

3.

Remissio peccatorum & satisfactio operum sunt contraria.

Vbi remissio ibi nulla satisfactio.